





11
1751, 2

IO. NICOLAI FROBESII

MATH. AC PHILOS. P. P. O.

RVDIMENTORVM

BIOGRAPHIAE
MATHEMATICAE

SECTIO I.

QVA

MATHEMATICORVM VETVSTISSIMORVM

HOC EST ILLORVM

QVI ANTE THALETEM CLARVERVNT
RECENSIO CHRONOLOGICA

CONTINETVR

PRAELECTIONIBVS

MATHEMATICIS AC PHILOSOPHICIS

SEMESTRI AESTIVO ANNI MDCCLII

IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA

HABENDIS

PRAEMISSA.

HELMSTADII

LITTERIS SCHNORRIANIS.

2
37

ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE
CIVIBVS STVDIOSIS
GENEROSISSIMIS NOBILISSIMISQVE

S. P. D.

IO. NICOLAVS FROBESIUS



Ecce Vobis, CIVES ACADEMICI, *Institu-*
COMMILITONES SVAVISSIMI, *tum prae-*
Vestris dicatam studiis atque usibus *sent signi-*
commentationem academicam, qua *ficatur.*
biographiae mathematicae rudimenta
quaedam, quod felix & faustum sit! exhibere susci-
pimus. Vestrum, arbitror, nemo est, temere quem
fugiat, id quod data opera monere in scholis nostris
mathematicis a) subinde consuevimus, pereximias
esse ac multiplices, quas ut disciplinarum quarum-
cunque ceterarum, sic *matheos* quoque *historia* cul-
toribus suis praestat, utilitates. Fere primum autem
A 2 inter

a) Ductu videlicet nostrae *introductionis ad mathefin* anno sape-
riori in lucem editae §. X. pag. 62. 199.

IV

inter ea capita, quibus disciplinarum historia continetur, b) *biographia* locum obtinet. Nisi enim praefructa fuerit de *auctoribus* sive doctoribus tractatio, digne satis tractari nec de *satis doctrinarum*, nec de *fontibus* ipsarum, sive *libris* eas continentibus, potest. Horum enim utrumque studiis atque institutis illorum acceptum esse referendum, ipsa rerum indoles, puto, loquitur.

Chronologiae mathematicae scriptores pristini notantur.

Haud ignobile quidem, nec contemnendum sane studium videtur, quod & GERH. IO. VOSSIVS, c) & iam tum ante illum IOSEPHVS BLANCANVS, d) hoc in genere scriptionis posuere; ceteros enim census huius auctores, in *hist. & dogmat. ad matheseos introductione* suo loco a nobis recensitos, quum singulares tantummodo biographiae mathematicae particulas suppeditarunt, lubentes nunc praetermittimus: sed rarius tamen obvia hodie sunt illorum opera, et, pro communi librorum historicorum conditione, ipso scili-

-
- b) vid. *loc. cit.* nec non *pansophiae delineationem*, *philosophiae Wolfianae*, Helmstadii an. 1734. publicatae praenuissim, pag. 25. sqq.
- c) Eo nimirum libro dogmatico atque historico, qui *de scientiis mathematicis*, sive *de universae matheseos natura & constitutione* inscribitur, & cui subiungitur *chronologia mathematicorum*, Amstelae. 1660. 4. edit.
- d) in *clarorum mathematicorum chronologia*, quae simul cum *traffatione de natura mathematicarum scientiarum* ei subnexa est volumini, quod extat sub titulo: *ARISTOTELIS loca mathematica ex universis ipsius operibus collecta & explicata*, auctore IOSEPHO BLANCANO, Bononiensi & Societate Iesu, mathematicarum in gymnasio Parmensi professore. Bononiae. 1615. 4. mai.

scilicet annorum progressu, minus perfecta nostrosque huic seculo imparia. Apud BLANCANVM enim quicumque ab anno superioris seculi decimo quarto, apud VOSSIVM vero ab anno sexagesimo qui claruerit, mathematici deficiunt. Vt nihil nunc de eo dicam, et diffusam nimis, et propter admixtas observationes quasdam alias impeditam quodammodo esse, quae in opere vossiano, satis cereroguin erudito, subministratur, celebrium mathematicorum chronologiam. Actum idcirco agere iustis rerum aestimatoribus neuiquam, ut spero, videbimur, dum ad historiam mathematicae, quam adornare coepimus, pleniorum elaborationem novo ipsam habitu instruere atque ad praesens usque tempus producere instituimus.

Quo minus autem universam statim eandemque penitus explicatam mathematicorum biographiam in lucem nunc emittamus, cum amplitudo materiae atque difficultas haud exigua, tum otii quoque academici minus negotiosi penuria prohibet. Consultum idcirco visum est particulatim atque intervallis quibusdam eiusmodi commentationes quasdam typis exscriptas publicare, ex quibus paullatim confici succincta *chronologiae seu biographiae synopsis* queat; uberius deinceps nunc prolusionum, nunc disputationum singularium, singulares mathematicos quosdam exhibentium, subsidio elaboranda.

Seculorum atque annorum ordinem, quantum quidem fieri potest, solertissime ubivis servare studebimus: qui persuasum omnino habemus atque compertum, chronologicam iustoque temporum ordine institutam doctorum recensionem haud obscura, imo vero cum primis luculenta progressus ac fortunae sci-

Instituti ratio planius declaratur.

Scripta temporis observatio cur adhibeatur.

entiarum vestigia continere; palmaria idcirco historiae litterariae cuiusuis documenta subministrare atque adminicula.

Delectu opus est circa eos, qui vulgo pro mathematicis habentur.

Vtique vero *delectum* quendam adhibuisse, circa vetustos imprimis auctores, conveniet: seduloque cavendum esse in hoc scriptionis genere videtur, ne qua forte potior aut religionis, aut antiquitatis, aut multitudinis denique, quam veritatis atque fidei historicae ratio habeatur. Neque enim *temere* quisquam referri in censum mathematicorum debet, nisi idem vel scriptis, vel rebus atque artibus mathematicum se se praestiterit, vel et apud auctorem fide dignum propter has ipsas causas *mathematici titulum obtinuerit*. Quae nos ergo causa moveat, ut communiter sic dictos *patriarchas*, ADAMVM puta, SETHVM atque alios in ordine vel indice mathematicorum heic praetermittamus, id quidem haud difficulter colligi ex modo dictis poterit. Si quis interim pias quorundam de patriarcharum sive hominum *antediluvianorum*, nec non *hebraeorum* antiquissimorum *mathematicis* coniecturas legere voluerit, is, praeter auctores, alias nobis laudatos, e) consulat velim IO. FRID. WEIDLERVM in *historia astronomiae*, Vitembergae 1741. 4. ed. cap. II. quo nimirum de *astronomia patriarcharum* seorsim tractatur; nec non IO. CPH. HEILBRONNERVM in *historia matheos universae*, Lipsiae 1742. 4. ed. lib. I. cap. IV. tum & imprimis IAC. BRUCKERVM in *historia critica philosophiae*, Lipsiae 1742. 4. ed. tomo I. P. I. lib. I. cap. II. ubi de *philosophia antediluviana*

e) in *hist. atque dogmat. ad mathefn introductione* pag. 81.

na tractatur, nec non lib. II. cap. I. quo nimirum de philosophia veterum hebraeorum differitur; afferentium atque negantium sententiis contrariis maximo sane studio recensitis nec minori cum iudicio commissis invicem atque expensis. Quamnam sibi BLANCANVS, supra nobis laudatus, in contexenda mathematicorum chronologia legem constituerit, hoc vel ex ipso libri eiusdem titulo manifestum videtur. Sic enim is sese habet: *clarorum mathematicorum chronologia, eorum videlicet, qui rebus aut scriptis claruerunt, ex certis historiis deprompta, omissis tum fabulosis, tum ob nimiam antiquitatem incertis, veluti sunt ea, quae de ATHLANTE, ZOROASTRO, ENDIMIONE, ORPHEO, LINO, aliisque traduntur. IVBAL vero pater canentium cithara & organo, hoc est musicae auctor, omissus est eo, quod nimio intervallo ceteros antecedit. Haud absimiliter hoc quicquid rei est admirandae lectionis atque sagacitatis vir IO. ALB. FABRICIVS existimavit, quum bibliothecae graecae libro III. cap. V. §. III. brevem hanc astronomiae historiam mythicam contexuit. Tanquam incerta admodum, verba sunt FABRICII, praetereo, quae uti de ADAMI, HENOCHI, NOEMI, ABRAHAMI & aliorum patriarcharum, f) ita de astronomica scientia feruntur vel ANDVBARII g) cuiusdam, qui*

f) de his dictum in libro de pseudepigraphis prophetis.

g) *chronicon paschale* p. 36. ἐν τοῖς ἕξοκτοῖς τοῖς πνευματικῶν ἐν τῇ γενεῇ τῆ ἀσφαζὴν ἀπὸ τῆς Ἰνδῶν ἀνεβῆναι αὐτοῦ ἀστρονομῶν ἐννοεῖται Ἀνδύβαρος, ὃς καὶ συνέγραψε πῦρτος Ἰνδῶν ἀστρονομῶν. Gemina legi apud CEDRENUM & in *chronico MS. SIM. LOGOTHETAE*, iam notavit CANGIVS in notis.

VIII

qui circa PHALEGI tempora Indis primus astronomiam scripſiſſe traditur, vel Aegyptiorum HERMETIS, h) ſive THEVTIS, AESCVLAPII, ANVBIIQVE, HELII, HELIADARVMQVE Rhodiorum i) antiquiſſimorum, a quibus Aegyptii ipſi aſtrorum ſcientiam accepſiſſe dicuntur, licet Aegyptios primos coelum ſcrutari et metiri auſos ait MACROBIVS lib. I. Cap. XXI. in ſomnium Scipionis, vel VRANIK) ſive COELI, ſiderum obſervatoris praecipui, qui poſtea OLYMPVS dictus fuit: vel ATLANTIS Phrygis, l) qui ſphaeram reperit primus, vertice coelum dictus propterea continere: m) IAPETI item ac HESPERI, ATLANTIS fil. tum SATVRNI, TITANIS, CEPHEI, ATREIQVE, qui primus n) rationem eclipſeos ſolis apud Mycenae obſervaiſſe & ſeptem errantia ſidera motu contrario

-
- h) ARNOBIVS 2. *adverſus gentes* p. 92. & quae de HERMETIS aſtologica ſcientia notata ſunt ſuperius lib. I. cap. XII. §. 9. ANVBII mentio apud IVLIVM FIRMICVM (vid. infra cap. XX. p. 511.) Confer. MARSHAMVM *canonis chronici* p. 480. edit. Lipſienſ.
- i) DIODORVS SICVLVS lib. V. p. 227. VOSSIVS *de ſcientiis mathemat.* p. 144.
- k) DIODORVS p. 221.
- l) DIODORVS SICVLVS lib. III. p. 135. IV. p. 163. PLINIVS II. 8. *hiſt.* & 56. HERACLITVS c. 4. *incredibil.* SVIDAS in Ω₂₀₀. ISIDORVS III. 24. *orig.*
- m) EVRIPIDES *Ione* ſub init. SIDONIVS *panegyrico Aviti* v. 4. ARISTOTELES II. I. *de coelo.* PISIDES *hexaem.* v. 116. ſq. Confer LAMBECCII *prodromum hiſt. litter.* p. 131. ſq. Obiter nota, quod ATLAS *Manichaeorum*, de quo EPIPH. NIVS T. I. p. 639. eſt *ſidus Saturni.*
- n) HYGIN. *fab.* CCLVIII. SERVIVS *ad Aeneid.* I. 572. *ſchol.* HORATII *Cruquian.* p. 625.

rio totius coeli gyrationi ferri o) primus notasse traditur: vel HYPERIONIS, p) qui solem, vel ENDYMIONIS Caris, q) qui lunae cursum diligentissime fertur esse contemplatus: vel CHIRONIS r) denique, eiusque filiae HIPPEs, s) praeterea ZOROASTRIS, t) ORPHEIQVE, u) & ab ATLANTE edocti HERCVLIS, x) tum HOSTANIS, y) ASTRAEI, z) PROMETHEI a) atque PALAMEDIS. b) Haecenus FABRICIVS. Cuius equidem sententiae licet maximam partem consona ea sint, quae folleter admodum a cel. BRVCKEROC) cum de Chaldaeorum & quorundam aliorum partim Asiae, partim Africae populorum, tum de Graecorum quoque vetustissimorum doctoribus atque institutis, fabulosi quid spirantibus, disputata

B

tata

- o) IO. PHILOPONVS in *l. meteorol.* p. 182. ACHILLES TATIVS *isagoge in Aratum* c. 1.
 p) DIODORVS SIC. lib. V. pag. 231.
 q) HARDVINVS ad *PLINII hist.* II. 9. p. 159. TZETZES *chil.* II. v. 377.
 r) CLEMENS I. *strom.* p. 306.
 s) CYRILLVS ALEXANDR. IV. *contra Iulian.* p. 143. edit. ill. SPANHEM.
 t) SVIDAS in *αστρολογια* & quae superius notata sunt lib. I. c. XXXVI. §. 5.
 u) *Supra* lib. I. c. XX. §. 7. Meminit & ORPHEI inter astrologos IVLIVS FIRMICVS.
 x) CLEMENS loco laudato. TZETZES *chil.* II. hist. 399.
 y) SVIDAS in *αστρολογια*.
 z) ARATVS v. 98. confer ACHILLEM TATIVM loco laudato.
 a) AESCHYLVS *Prometheo.* v. 456. sq.
 b) SOPHOCLES apud ACHILLEM TATIVM. c. 1. *isagoges in Aratum*.
 c) *histor. philos. crit. tom. I. lib. II. cap. II. & seqq.*

X

tata sunt, tamen quo minus ZOROASTRIS, NIMRODI, HERMETIS, CEPHEI, ATLANTIS, et, qui his similes videntur, aliorum nomina ex matricula vel indice mathematicorum penitus deleamus, variae rationes prohibent. Namque primo loco in istiusmodi fabulis, quae prima mortalium studia litteraria velutique nascentis eruditionis statum atque infantiam respiciunt, quoad sermonis habitum sive stylum, poëticum videlicet atque symbolibum, potius, quam quoad ipsa, quae memorantur, facta figmenti quidpiam videtur subesse. Neque enim res ipsas gestas finxerunt poëtae, sed rebus gestis addiderunt quendam colorem: ceu dudum notavit LACTANTIUS d). Sic verbi causa *coeli portatio* eiusdemque in HERCVLIS *humeros depositio*, qualis nimirum ab ATLANTE quondam facta esse memoratur, manifestam quidem scriptorum antiquiorum, poëtarum quippe, fictionem spirat; qua, pro nationis atque seculi istius genio, fortassis nihil aliud, quam *strenua rerum coelestium sive siderum contemplatio atque interpretatio*, ceu infra suo loco ostendemus, e) significatur. Interim ATLANTEM quendam atque HERCVLVUM, cum principali seu regia dignatione, tum singulari rerum quoque humanarum sive politicarum, nec non divinarum, hoc

d) *de falsa relig.* lib. I. cap. 2.

e) Eleganter, ut solet, CICERO tusc. qu. V. 3. *Nec ATLAS, inquit, coelum suslinere, nec PROMETHEVS frater affixus Caucasio, nec stellatus CEPHEVS cum uxore CASSIOPEA, genero PERSEO, filia ANDROMEDA traderetur, nisi coelestium divina cognitio nomen eorum ad errorem fabulae traduxisset.*

hoc est naturalium atque coelestium, aut, si mavis, astrologiae peritia spectabiles revera extitisse, curiose circumspicere omnibus, haud omnino improbabile videtur. Deinde communem illam veterum doctorum de priscis mathematicis sive astronomis illis *traditionem*, ut & quorundam ex his *in coelo stellato* hodiernum conspicuas *imagines* mera poetarum figmenta esse, neque istiusmodi personas, quibus imagines istae respondeant, olim vixisse, quis quaeso harum rerum intelligens hoc quidem in passu temere ac simpliciter asseverare audeat? Scio, traditiones atque imagines priscas haud prorsus expertes esse figmentorum; sed aliquam tamen, pro rerum ipsis contentarum conditione, circa interpretationem illarum adhiberi oportere moderationem existimo. Denique, ut alia quaedam huc spectantia, f) brevitatis ergo, nunc praetermittam, eorum sane, qui primi apud Graecos studiis atque institutis mathematicis inclaruerunt, THALETIS puta *Milesii*, ANAXIMENIS, PYTHAGORAE, atque aliorum ad orientis populos matheoseos causa institutae peregrinationes, haud obscure, nisi fallor, indicant, dudum ante Graecos astronomiam & mathesin reliquam a *Chaldaeis*, *Persis*, *Aegyptiis*, aliisque nationibus, Asiam atque Africam tenentibus, in deliciis habitam fuisse atque excultam. Quis igitur amabo vanitatis aut superstitionis illum iure arguat, qui ZOROASTRES, HERMETES, CEPHEOS, ORIONES, alios, pro personis plane fabulosis aut fi-

B 2

ctis,

f) Vid. *historica & dogmatica ad mathesin introductio* nostra pag. 87. sqq.

Eis, doctorum quorundam iudicio, licet contra perpetuam traditionem &, quod ego quidem sciam, sine luculento vetustioris ac fide digni auctoris cuiusdam testimonio passim habitos, in catalogo vel *indice mathematicorum*, & primo quidem inter hos loco, quasi personas veras studiisque mathematicis valde nobilitatas commemoraverit? pulchre interim scio, id quod etiam in confesso est apud omnes, qui sapiunt, ab exquisita & *fabulosa temporis confusione vix ac ne vix quidem vindicari primos scientiarum auctores posse*. Et dementer sane temerarius, puto, foret, qui forte adhibitum circa illos seculorum atque annorum ordinem, qualiscunque tandem is fuerit, certum plane atque indubitatum esse contenderet.

Haec pro mathematicis, quorum quidem merita ac studia aetatem quodammodo tulere, vetustissimis ac primis, ad iustam eorum, quae in utramque partem disputari de iisdem solent, existimationem nunc quidem dicta sufficiant. Nonnunquam enim festinanter nimis ea reprobantur aut carpuntur, quae forte fortuna non satis capiuntur vel expenduntur.

Cur musici quidam inter mathematicos referantur

Restat unica de *musicis*, in mathematicorum quippe censum atque ordinem, si praesertim veteres respicias, communiter relatis, observatio, in fine praefationis huius adiungenda. Scilicet quemadmodum *artis musicae* dogmata atque instituta pleraque fere omnia mathematicis, iis praecipue, quae ad numeros pertinent, principiis nituntur, atque idcirco etiam a GASPARE SCHOTTO, g) IO. CARAMVELE a

LOB-

g) in *magia artis & naturae universali*, Herbipoli 1657. 4. tomis II.

LOBKOWITZ, h) & quibusdam aliis recentioris aevi mathematicis disciplinarum mathematicarum systematibus inferuntur; sic, qui secundum mathematicorum principia methodoque demonstrativa musicae artis leges tradiderunt, iure quodam ac merito inter mathematicos commemorari ac celebrari, haud difficulter omnes intelligunt. Nervose CICERO: i) *summa*, inquit, *apud Graecos eruditio sita fuit in musica & geometria. Itaque mathematico nihil illustrius.* Iuvabit interim IOSEPHVM BLANCANVM, quem quidem in primis locupletare ac dilucidare commentationibus huius nostris constituimus, de hoc ipso argumento differentem heic audivisse. Fere sic autem is eo loco, k) ubi TERPANDRVM Thebanum, *musicum* memorat: *ut intelligas*, inquit, *quidnam essent leges, de quibus heic & infra passim fit mentio, audi PLVTARCHVM de musica.* *Omnino inquit, cytharae cantus TERPANDRI ratio omni ex parte simplex perrexit esse usque ad aetatem PHRYNIDIS. non enim antiquitus pro libidine cuiusque (uti nunc) licebat fidibus canere, nec rithmos concentusve transferre: in ipsis namque legibus accommodatam cuique tentionem tuebatur, cuius rei causa id nominis inditum erat. leges enim sunt vocatae, quoniam praescriptum quasi lege cautumque erat, ne quis per quamlibet unam speciem formamque tentionis transgrederetur.* Idem circa

B 3

h) in *mathest bicipite*, veteri ac nova, Campaniae 1670. fol. tomis II. ed.

i) *tusc. qu. lib. I.*

k) in *chronologia mathematicorum* superius laudata, statim a principio.

XIV

ca finem operis sui 1) sic de adem materia differit :
*Huius seculi praecedens pars desinit in anno domini
 1614. quo ipso chronologia pariter absoluta est. Atque
 hic finis esto brevis huius chronologiae, quae continet
 auctores fere 257. annos vero 2464. in 26. secula distri-
 buta; in quam ex antiquis omnes, quotquot reperire
 potuimus, ex recentioribus selectiores, qui aut scriptis
 aut rebus claruerint, cooptavimus; alioquin recensendi
 fuissent omnes Pythagorici atque omnes Platonici,
 qui omnes mathematicis eximie navabant operam. Omnes
 praeterea poëtae ab HOMERO usque ad CHRISTI
 fere seculum annumerandi fuissent, erant enim anti-
 quitus poëtae omnes simul etiam musici, ut perspicuum
 est ex iis, quae in libro de musica PLVTARCHVS
 in hunc modum ait: non equidem fuisse immixtum me-
 tri numerive rati dictionem poëmatum musicorum, sed
 qualis STESICHORI fuit, & veterum aliorum poë-
 mata adhibitis modulis condidere. TERPANDRVM
 namque tradunt adiectis ad sua atque HOMERI carmi-
 na per singulas leges modis, solitum in ludis cum con-
 certatione editis canere. Neque mireris, quod recentes
 musicos omnes, quos Contrapuntistas appellant, omi-
 serim: id enim consulto ac merito feci, cum mihi ob-
 sequentes rationes, quas breviter ex dialogis de musica
 VINCENTII GALILAEI decerpsi, nomine musici in-
 digni videantur. 1. quia officio musici minime fungun-
 tur: est autem ex PLATONIS atque ARISTOTELIS
 sententia, officium musici, rithmis, sive numeris uti
 ad auditorum affectus excitandos. Contrapuntistae
 vero isti rithmum omnem aut numerum aspernuntur.*

2. quia

1) *ibidem.*

2. quia suas illas quatuor aut quinque partes sic simul confundunt, ut nullum verbum nullusque ritibus percipiatur: sed mera tantummodo musica quaedam confusio; quam qui audit, nescit, quid audiat. 3. quia eodem modo carmina, ac solutam orationem canunt, ut intelligere nequeas, carminane, an prosam decantent. Quod quidem maxime est inconueniens & veteri musicae contrarium. Neque enim musica carminis numerum offuscare; sed eum magis exornare atque viridum reddere debet. 4. quia cantilenaes sensum omnem, dum diuersa verba simul plures in cantu pronunciant, ita tollunt, ut nihil omnino intelligatur: quum tamen musici officium sit, cantilenaes sententiam cantu & ritmo auditorum animis ita ingerere, ut eos iuxta sententiae illius affectum afficiat & commoveat. 5. quia de industria contra leges antiquas repetitiones eiusdem vel consonantiae, vel cadentiae, ut aiunt, atque etiam rituum maxime vitant: quod tamen ad animorum motus ciendos plurimum valet. 6. quia non musice, sed mimice, id est, non ritibus, sed modis a natura musicae alienis ac ridiculis frequenter imitari gestiunt.

Sed ista quidem de musicis inter mathematicos olim conspicuis, hodie vero exulantibus, BLANCANI & GALILAEI verbis, aliquanto prolixius atque obiter eum in finem heic differuimus, ut musices pariter ac matheos studiosi exinde intelligant, valde propinquam inter utrasque artes hasce cognationem intercedere; esse item veteris ac recentioris musicae, legum atque accurationis respectu, discrimen quoddam haud exiguum; tum bene multas etiam physicorum atque astronomorum veterum de coelesti musica sive mundi harmo-

XVI

harmonia sententias artis musicae studio, naviter ab ipsis cum matheſi reliqua copulato, acceptas eſſe referendas. poſſe denique ſtudii muſici cum diſciplinarum mathematicarum ceterarum ſtudio copulationem inter artis utriuſque defectus ac deſiderata ſuo quodam iure ac merito, his quidem temporibus referri.

De cetero, ut ad praefens inſtitutum noſtrum revertamur, dabimus nos operam, quantam & temporis, & ſupellectilis noſtrae librariae ratio permittet, maximam atque ſinceram, ut qualiacunque haec biographiae mathematicae rudimenta, ſi non quoad omnes ac ſingulos, ſaltem quoad plerumque verſus vel articulos ſufficienti ac debito ſcriptorum eo pertinentium apparatu inſtruantur.

Vos interim, CIVES ACADEMIAE FLORENTISSIMI, FAVTORES atque AMICI CARISSIMI, ex ſententia valete, Veſtrasque res, id quod per Veſtram ſalutem rogamus atque hortamur, ſollertiter atque opportune, quodque per noſtram fidelitatem ac ſollertiam, quoad eos ſane, qui noſtras frequentabunt ſcholas, cum mathematicas, tum philoſophicas, ſperamus & confidimus, digne ac feliciter agite.

Scrib. Helmaeſtad. in acad. Iulia Carolina
d. XXI. April. an. MDCCL.



BIO-

BIOGRAPHIAE MATHEMATICAE

RVDIMENTA

SIVE

MATHEMATICORVM CLARORVM
RECENSIO CHRONOLOGICA

NIMRODVVS (Genef. cap. X.) idemque BELVS, *Sec XVIII*
 nomine scilicet appellativo & simpliciter, h. e. *et XIX*
principes ac dominus, PLINIO *hif. nat. lib. XVII. c.*
 26. IVPITER BELVS, seu *divinus princeps*, sa-
 lutatus, rex Chaldaeorum, non urbis tantum & mon-
 archiae, sed *tarris etiam babilonicae seu templi Iovi-*
alis, hoc est, *speculae astronomicae*, a SEMIRAMIDE
 filia exaedificatae, primus conditor & sideralis scien-
 tia cultor strenuus atque eximius passim apud hi-
 stóricos celebratur. Vid. DOROTHEVS SIDONIVS
 apud IYL. FIRMICVM in *astrologicis*, PLINIUS *hif.*
nat. lib. VI. c. 26. SOLINVS *cap. ult. it. SALMASIVS*
ad Solinum. pag. 867. BOCHARTVS in *Phaleg. lib. I.*
 cap. V. sqq. DIODORVS SICVLVS, HERODOTVS,
 atque alii, partim in nostra *ad mathesin introductione*
 pag. 85. sq. partim ab ARTOPOEO in *commentario in*
tabb. Schrad. chronol. pag. 20. sq. partim a IACOBO
 BRVCKERO in *historia philosophiae critica* tomo I. lib.
 II. c. II. §. 14. partim & denique a IO. FRID. WEID-
 LERO in *historia astron.* cap. III. citati. Quibus ad-
 iungi

Sec XVIII
et XIX
a mundo
cond.
Sec. XXII
a Nat. C.

C

Secul.
XVIII.
& XIX.
a M. C.
Sec. XXII.
ante C. N.

ungi possunt ATH. KIRCHERVS in lib. *de turri Babel*, IO. IAC. HOFMANNVS in *lexico universali voce Belus*. ELINGIVS in *historia gr. ling.* SAM. REYHERVS in *mathefi mosaica*. TH. STANLEIVS in *hist. philosophiae orient. cum indice* CLERICI philolog. DODWELLVS in *appendice ad Cypriani dissert.* Ceterum aut me fallunt omnia, aut turris babilonicae pro astrologis facta extructio ansam dedit fabulae de gigantibus, qui montibus montes imposuerint, coelum expugnaturi.

ZOROASTRES, Persis ZERDVST, SVDAE ZOROMASTRES, DIODORO SICVLO (lib. I. c. 6.) OXYARTES, LAËRTIO (in *praefamine*) ΑΣΟΔΟΥΤΗΣ, BOCHARTO (in *phaleg*) ΑΣΟΔΕΑΥΤΗΣ, idemque *Bactrianorum rex*, nunc *Chaldaeus*, nunc *Medus*, nunc *Persa*, nunc *Sina*, vocari solitus; quum fortassis praeter *Bactrianam* ceteras quoque *Bactrianis* & *Chaldaeis* contiguas orientis regiones is tenuit: similiter ac *BELVS* astronomiae nec non magiae, h. e. physices atque astrologiae primus inventor, vel potius insignis admodum cultor atque patronus extitisse perhibetur. *BELI* aemulus atque *Babylonis* aggressor fuisse *ZOROASTRES* videatur: quem profligatum a *NINO* sive *ASSVRE BELO* historici memorant; extincto licet in pugna victore. Quaedam huc pertinentia in *introd. ad mathefin* I. c. attigimus. Plenior argumenti huius tractationem *SVIDAS* in *lexico* voce *Zoroaster*, *PLINIVS hist. nat.* lib. XXX. c. I. *STANLEIVS in historia philosophiae orient.* *FABRICIVS in biblioth gr.* lib. I. c. I. & 36. item *GABR. NAVDAEVS*

DAEVS, TH. HYDIVS, MORHOPIVS, VRSINVS,
ARTOPOEVVS, BRVCKERVS, WEIDLERVS locis
supra citatis, atque alii passim ab istis laudati submi-
nistrarunt. Add. VOSSIVS de *scientiis math.* c. XXX.
IO. BAPT. RICCIOLVS in *chronico astronomorum*,
quod almagesto ipsius praefixum legitur. HOFF-
MANNVS in *lex universali v. Zoroaster.* & denique
DAV. ALGÖWERVS in *mathefi purpurata.*

Secul.
XXVII.
a M. C.
XIV. ante
C. N.

ATLAS, Mauritanorum vel Aethiopum in
Africa rex, idemque strenuus siderum spectator atque
astrologus, primus, vel cum primis, sphaerae hoc est si-
derum ac coeli rationem manifestasse Lybiaeque popu-
los docuisse memoratur. VRANI idcirco sive *coeli* filius
fuisse, coelumque, perinde ac mons iste Lybicus ex-
cellus, in quo siderum contemplationibus idem vaca-
vit, quique nomen ab ipso traxit, coelum sustinere
humeris fuit creditus. Similiter *pleiades* (germ. *das
Siebengestirn*), velut totidem *Atlantis filiae*, *Atlanti-
des* olim nominatae videntur, quod fortassis primus
eas designasse in sphaera, & facultatem ipsarum osten-
dit. Conferis VITRUVIVM *archi-
tect.* lib. VI. c. 10. CICERONEM *qu. tusc.* lib. V. c. 3.
PLINIVM *hist.* lib. II. c. 8. SALMAS. ad *Solin.* DIO-
DOR. SIC. III. 5. AVGVSTIN. *de civit. dei* XVIII. 8.
NATALEM COM. in *mythol.* VOSSIVM de *scient.
math.* c. XXX. HOFMAN. in *lex univ.* RICCIOLVM
in *chron. astron.* REIHER. in *mathefi regia.* ALGÖ-
WER. in *mathefi purpurata*, WEIDLER. in *hist. astron.*
c. I. p. 9. BRVCKERVM *hist. philos.* tom. I. pag. 311.
sq. atque ab his excitatos alios.

C 2

PRO.

Secul.
XXVII.
a M. C.
Sec. XIV.
ante C. N.

PROMETHEVS, ATLANTIS frater; sanguine, an studiis, an utrisque, incertum, primo gentis cuiusdam Africanæ iuxta Nilum, deinde Graecorum nec non Scytharum iuxta Caucasum in Asia princeps, tractandis tradendisque litterarum, & cum primis astronomiæ, nec non philosophiæ naturalis ac metallurgiæ studiis ita intentus, ut homines e luto finxisset, ignem e coelo in terram detulisset, tandemque a MERCURIO, IOVIS iussu, ad *Caucasum* montem deductus, in spelunca vinctus, atque a vulture seu aquila, iecinoris partem, quæ nocte succreuerat, per diem absumente, discruciatu, sed ab HERCVLE tandem liberatus fingatur. Vberius fabulam, quæque per ipsam adumbrari videntur, PROMETHEI facinora, HERODOTVS, AGROETAS (*rer. Scyth. lib. 13.*) NATALIS COMES in *mythol.* HOFMANNVS in *lex. univ.* FABRIC. *bibl. gr. lib. I. c. I. & XVII.* BRVCKER. in *hist. philos.* T. I. p. 368. fqq. ibidemque citati alii exposuerunt. Conf. RICCIOLVS, atque *introd. nostra* l. c.

THEVTVS (THOYT, THOOT, h. e. *deus*, seu *vir divinus*) graecis HERMES, latinis MERCVRIVS dictus (CICERO *de nat. deor.* lib. III. c. 22.) TRISMEGISTVS h. e. *vir summus* vel *maximus* cognominatus, ATLANTIS nepos, (MARSIL. FICIN. tom. II. p. 1836. fqq. it. RICCIOL.) genere an studiis, non satis exploratum, (LVCIAN. *de astrologia*) idemque vel ipsemet Aegyptiorum rex, perpetuam cum deo prae se ferens societatem, vel coniunctissimus saltem regis, OSIRIDIS videlicet, consiliarius atque sacer-

cerdos h. e. litterarum ac sapientiae, cum primis autem chemiae seu metallurgiae, nec non astronomiae vel astrologiae patronus & conditor, nisi nos omnia fallunt, extitit. Fingitur is PROMETHEVM, Iovis iussu, ad montem Caucasum abduxisse in ibique vincum in spelunca servasse; quum fortassis in Scythiam & Colchidem chrysolociae aut metallurgiae causa ipsum ablegavit. Ceterum uno plures similibusque studiis ac meritis inter Aegyptios floruisse MERCURIOS, dubitare vix licet. Conf. CICERO d. l. DIODOR. SIC. lib. I. LIL. GYRALDVS *hist. deor.* lib. IX. NATALIS COMES *in mythol.* G. I. VOSSIVS *de idololatr. gentil.* lib. II. c. 57. FRANC. IVNCTIVS *in speculo astrol.* post praefat. OL. BORRICHIVS *in lib. de Hermete*, HERM. CONRING. *de medicina hermet.* HOFMANNVS *in lexico univ.* FABRICIVS *in biblioth. gr.* lib. I. c. I. & VII. fqq. it. lib. III. c. XX. BRVCKERVS *in hist. philos.* tom. I. pag. 252. fqq.

Secul.
XXVII.
a M. C.
Sec. XIV.
ante C. N.

HERCVLES, *Libycus* nimirum vel *Aethiopicus*, *Μεταγωγης* seu *musarum ductor*, ad differentiam reliquorum huius nominis heroum, cognominatus, idemque OSIRIDIS, ut ferunt, propinquus, fidus item PROMETHEI in procurandis mathematicum ope, mortalium necessitatibus sodalis atque adiutor, ita strenue fideralis doctrinae studium ATLANTIS ductu coluit, ut in sustinendo coelo successisse huic fingatur. Admirabilem is apud veteres consecutus est gloriam, tum quod acceptam ab ATLANTE astronomiam ad Graecos transtulit, tum quod ipse filius, SARDVS, *in Ichmusam*, maris Tyrrheni insulam, colonos ex Libya

Secul.
XXVII.
a M. C.
Sec. XIV.
ante C. N.

bya duxit, itaque novum insulae nomen *Sardiniae* conciliavit. Conf. PAUSANIAS in *phocicis* SOLIN. C. X. DIODORVS SIC. lib. IV. c. 2. VOSSIUS de *scient. math.* c. XXXII. RICCIOLVS in *chron. astron.* HOFMAN. in *lexico univ.* ARTOPOEVVS l. c. pag. 38. WEIDLERVS in *hist. astron.* c. I. §. 5. atque apud hos citati alii.

CEPHEVS, rex Aethiopum idemque follers siderum contemplator atque interpres, sive astrologus: qui hoc ipso studio suo effecisse videtur, ut una cum CASSIOPEA coniuge, ANDROMEDA filia, generoque PERSEO, Gorgonum, (*Medusae, Sthenonis* atque *Euryales*) domitore, in coelum (stellatum) sit translatus. Vid. CICERO *tusc. qu. V.* 3. OVID. *metam.* LVCIANVS in *lib. de astrologia*, TYCHO BR. *prognosm. astron.* t. I. p. 309. RICCIOL. l. c. Idemne hic sit cum illo, qui expeditionis argonaut. seu Colch. comes extitit, in tam profunda rerum obscuritate definire non auserim. Conf. iterim FLACC. I. 378.

ENDYMION, a Cariae monte Latmio, in quo is siderum contemplationi vacavit, *Latmius* cognominatus, ita follers atque indefessus coeli, cum primis autem lunae huiusdemque motus ac vicissitudinis observator extitit, ut *lunae amator* fuisse inque Latmio obdormivisse fingatur a poetis. Conf. CICERO *qu. tusc. I.* LVCIANVS in *dialogo veneris & lunae*, RICCIOLVS in *chron. astron.* it. HOFMAN. in *lex. univ.* ibidemque citati.

CHI

CHIRON, Theſſalus, idemque, ut fingitur, Centaurus, h. e. eques & ſagittarius valde ſtrenuus, Saturnique filius, HERCVLIS in aſtrotologia, praeceptor dicam an diſcipulus? qui & *figuras coeli* vel *aſturiſmos* primus vel cum primis monſtraſſe, & ACHILLEM cum in hac, tum & in muſica arte inſtituiſſe memoratur: inter ſidera idcirco relatus. Vid. CLEMENS ALEX. p. 306. PLVTARCHVS *de muſica*, AVSONIVS *eidyll. IV. 120.* LVCIANVS *de aſtrol.* PLIN. *hiſt. VII. 56.* NATAL. COMES *in mythol.* CAESIUS *in coelo aſtron.* FABRIC. *bibl. gr. lib. I. c. 3.* HOFMAN. *in lex. univ. WEIDLER. in hiſt. aſtron. c. I. §. 6.* atque ab his citati.

Secul.
XXVII.
a. M. C.
c. XIV.
ante C. N.

ANCAEVS, aſtrotologus & proreta eximius, *Neptuni* idcirco filius appellatus. Vid. HYGIN. *in fabulis* PAVSANIAS lib. VIII. ORPHEI *argonaut.* HOFMAN. *in lexico univ. it. WEIDLER c. I. §. 7.* ibidemque laudati.

LINVS, idemque *Chalcidenſis*, Mercurii vel Apollinis atque Vranies, ut Graeci quidem fingunt, filius, phyſicus atque aſtrotologus inſignis exitit. Scripſiſſe is de mundi generatione, ſolis item & lunae curſibus, nec non animalium & fruſtuum generationibus memoratur apud DIOG. LAERTIVM lib. I. Add. PAVSAN. *in boeotic.* DIOD. SIC. lib. III. c. 61. SEXT. EMPIR. *adv. mathem.* lib. I. aliique apud FABRIC. lib. I. c. 14. §. 6. WEIDLERVM §. 8. atque BRVCKERVM t. I. p. 372. laudati.

O R.

Secul.
XXVII.
a M. C.
Sec. XIV.
ante C. N.

ORPHEVS, natione *Thrax*, LINI discipulus, idemque pro communi seculi istius genio, astrologus poëta, vel musicus celebris atque argonaturum comes, praeter cetera *theogoniam* atque *astronomiam* scripsisse perhibetur: cuius *lyram* hodiernum inter sidera conspicimus. Vid. DIODOR. SIC. lib. IV. c. 25. LVCIANVS de *astrologia*, & complures alii, ab HOFMANNO in *lex. univ.* ARTOPOEO p. 46. FABRICIO *biblioth. gr.* lib. I. c. 18. sqq. WEIDLERO p. 8. BRUCKERO *hist. philos.* t. I. p. 373. sqq. citati. Quibus addi meretur ANDR. CHR. ESCHENBACHII *Epigenes sive de poësi ac philosophia Orphica commentatio* Norib. 1702. 4. ed. utpote qua philosophiae Orphicae reliquiae continentur.

MVSAEVS, patria *Atheniensis*, similiter atque ORPHEVS, cuius is filius aut discipulus potius exitit, philosophus atque *επιστολιος*, nec non astrologus, *theogoniam* atque *sphaeram* h. e. doctrinam de planetis atque asterismis non primus quidem, ut DIOG. LAËRT. (in *prooemio*) scripsit, sed inter primos tamen, & fortassis plenius, quam ipsius antecessores, tradidit. Conf. SVIDAS in *lex.* PAVSANIAS in *Atticis*, item VOSSIUS de *poëtis gr.* c. 2. FABRIC. *bibl. gr.* lib. I. c. XVI. WEIDLERS in *hist. astr.* p. 8. BRUCKERVS tom. I. p. 400. atque ab his laudati alii.

AMPHION, musicus atque magus h. e. philosophus atque astrologus eximius, qui tetrachordo chordas tres primus addidisse fertur; lyra idcirco,

ut fingunt, a MERCURIO donatus, septem nervis instructa. Magiam is, exemplo ORPHEI; ab Aegyptiis didicisse perhibetur apud PAUSANIAM in *eliacis*; & nisi me omnia fallunt, unus ex argonautis fuit. Conf. ARISTOCLES de *musica*, NATAL. COM. in *mythol.* nec non alii apud HOFMAN. in *lex. univ.* item apud BRUYCKERVM in *hist. philos.* t. I. p. 402. sq. citati.

Secul.
XXVII.
a. M. C.
Sec. XIV.
ante C. N.

ATREVS, PELOPIS filius, Mycenarum in Peloponeso regulus, astrologiae peritia clarus extitit. Planetarum itinera progressionibus inerrantium contraria ipsum reperisse EURIPIDES apud ACHILLEM TAT. *isag. ad Aratum c. 1.* notavit. Add. HYGIVS *fabul. c. 258.* LVCIANVS in lib. de *astrologia*, & quidam alii ab ARTOPOEO p. 39. atque HOFMANNO laudati.

DAEDALVS, patria *Atheniensis*, professione mathematicus, praesertim statuarius atque mechanicus perquam ingeniosus, idemque partim a *statuis* mobilibus ac vitam prae se ferentibus, partim a *labyrintho*, quem MINOI regi in insula Creta confecit, partim et denique ab *alis*, seu navium velis, sibimet atque ICARO filio adornatis nomen & gloriam consecutus. Vid. DIODOR. SIC. lib. IV. c. 80. sq. LVCIANVS de *astrol.* PAUSAN. lib. VII. PLIN. lib. VII. c. 56. it. XXXVI. 13. HYGIN. APOLLODOR. ac NATALIS COM. in *mythol.* & noster denique I. A. SCHMIDIUS in peculiari *diss. de Daedalo, mechanico celebri* Jen. 1687. in

D

in

Sec. XXXI.
 & XXXII.
 a M. C.
 Sec. X.
 & IX.
 ante C. N.

in lucem edita. conf. RICCIOLVS in *chron. astron.* v.
Endymion. it. HOFMAN. in *lex. univ.*

HOMERVS, natione Graecus, sed de cuius patria, ceu notatum est a GELLIO, septem Graeciae urbes olim disceparunt, cuiusque aetas centum fere annis olympiadum initium videtur antecessisse, *iliados* atque *odysseae* carminibus suis ita mirificam consecutus est gloriam, ut non poëtarum modo ac philosophorum communis quasi parens, sed egregius etiam, pro istius quidem seculi conditione, astrologus reputetur. Neque vero prorsus falli eos, qui inter astrologos HOMERVM referunt, cum frequens *siderum* in ipsius libris notatio, tum *fabularum* quoque *de diis*, utpote non heroum modo facinora, sed siderum queque potestates adumbrantium commemoratio, tum & denique mathematicorum quorundam vel astronomorum, nominatim ARATI, ARCHIMEDIS, mechanici Tralliani, ERATOSTHENIS, nec non PROCLI in ipsius libros commentaria, diligenter a FABRICIO *biblioth. gr. lib. II. c. V.* recensita, haud obscure indicant. Igitur cum grano salis accipienda sunt, quae adversus HOMERVM eiusdemque de diis fabulas PLATO (lib. II. de republ.) disputavit: nec temere sperni aut reprobari CUPERVS meretur, quod eo *commentario, quo consecrationem HOMERI, lapidi insculptam, illustravit* (Amstelod. 1683. 8.) a matheos atque astrologiae peritia poëtam laudavit. Conf. FABRIC. l. c. cap. I. sqq. WEIDLERVS cap. V. §. II. BRUCKERVS tom. I. pag. 422. sqq. atque ab his citati alii.

HE.

HESIODVS, patria *Cumanus*, sed ab educatione in *Ascraea*, *Boeotiae* vico, *Ascraeus* communiter cognominatus, frequenti *siderum* & quae a fiderum positu vario proveniunt, *tempestatum* eo in libro qui, *Ἔργα καὶ ἡμέραι*, *opera et dies*, inscribitur, notatione, ut & *theogoniae* narratione sua effecit, ut, perinde ac *HOMERVS*, inter aetatis suae astrologos suo quodam iure referatur. Vid. *HOFMANNVS* in *lexico univ.* *FABRIC.* l. c. cap. VIII. *WEIDLERVS* l. c. §. 3. item *BRVCKERVS* l. c. pag. 406. sqq. atque ab his laudati alii.

Secul.
XXXIII.
a M. C.
Sec. VIII.
ante C. N.

BELESVS, seu BELESIS, *Babyloniorum* praefectus atque sacerdos, astrologiae divinatricis peritia celebris, *ARBACIQVE*, medorum praefecto, in primis charus extitit. Vid. *DIOD. SIC. lib. II. c. 7.* *ARTOPOEVS* pag. 56. *WEIDLERVS* c. III. 10.

NUMA POMPILIUS, *ROMVLI* in regno romano successor, haud postremum inter mathematicos locum meretur, quod exactiorem calendarii fivae anni, nempe 365. dies continentis, formam apud Romanos constituit: qui proinde, *PLVTARCHO* iudice (in *Numa* c. 21.) *coelestium motuum rationem non exacte quidem tractavit, sed tamen non invidite attigit.* Idem igni perenni, a se instituto, *Vestae templum* custodiae causa circumdedit: quod rotundum ab eo exstructum est, non ut terrae, quasi ea *Vesta* esset, sed ut *universi figuram* exprimeret, in cuius medio ignem collocatum *Pythagorei* censent, eumque *Vestam*

Secul.
XXXIII.
a M. C.
Sec. VIII.
ante C. N.

& unitatem appellant. Idem enim terram neque immobilem, neque in medio circumferentiae sitam, sed in orbem circum ignem ferri existimabant. Vid. PLVTARCH. l. c. CICERO *trusc. qu.* lib. IV. c. I. MACROBIVS *saturnal.* lib. I. c. 13. VOSSIVS *de sectis philos.* c. VI. WEIDLER. *hist. astron.* c. V. §. 38. it. c. VI. §. 22. ibidemque laudati.

TERPANDER, *Lesbius*, a quo *cantus Lesbicus*, id est *maxime dulcis*, nomen accepisse videtur; secundum alios Thebanus, musicus celeberrimus, HOMERI pronepos, de quo ARISTOTELES *in problem.* & veteres alii meminerunt: claruit paulo ante I. Olympiadem, hoc est ante Christi nativitatem 800. circiter annis. Lyram, quam olim ORPHEVS tetrachordam fecerat, ipse heptachordam reddidit; modulos lyricos & leges fidium invenit. Adiecit suis & HOMERI carminibus modos, quibus canerentur. Primus de musica scripsit. Lacedaemonios inter se diffidentes cantus suauitate sedavit. Quaternas in ludis Pythiis victorias eum retulisse publicis monumentis traditum est. Vid. IOH. BLANCANVS *in chronol. mathematicorum*; ibidemque laudatus PLVTARCHVS *de musica.* Add. SVIDAS, IIL. GYRALDVVS, item FABRIC. *bibl. gr.* lib. I. c. I. pag. 6. inprimis vero cap. XXXIV. §. 4. sq.

XENOCRATES, diversus sine dubio ab altero quodam, quem infra suo loco laudabimus; BLANCANO l. c. dicitur *Italus Loerensis*, qui post

TER-

TERPANDRUM, & ante SACADAM vixerit, pae-
num conditor. Vid. PATRITIVS in *poëtica*.

Secul.
XXXIII.
a M. C.
Sec. VIII.
ante C. N.

ARDVLVS TRAEZENIVS, prior CLO-
NA, tibianam musicam constituit, PLVTARCHO qui-
dem id ipsum notante in *lib. de musica* Vid. IOS. BLAN-
CANVS l. c.

CLONAS ad imitationem TERPANDRI pri-
mus leges tiliarum fecit circa primam olympiadem.
Vid. PLVTARCHVS ET BLANCANVS l. c.

ARION, *Lesbius*, musicus vel citharoedus ex-
cellentissimus, cum ORPHEO propterea commissus
a VIRGILIO, sic nimirum canente: ORPHEVS in *syl-*
vis, inter delphinas ARION (*ecl. 8.*) Fingitur enim
is a *delphine*, (navi puta, delphinis nomen atque ima-
ginem prae se ferente) propter cantus dulcedinem su-
sceptus in mari fuisse Taenarumque deductus. Vid.
HERODOTVS *lib. I.* item SVIDAS, PAVSANIAS,
LVCIANVS atque alii apud HOFMANNVM in
lex. univ. laudati. Add. VOSSIVS *de poëtis gr.*
cap. III.

EPIMENIDES, Cerenfis, qui ovis a-
sportandae causa in agrum missus a parente, per quin-
quaginta annos atque amplius, ut fingunt, in spe-
lunca dormiit, aut peregre potius vel in secessu quo-
dam

Secul.
XXXIII.
a M. C.
Sec. VIII.
ante C. N.

dam, naturae contemplationi sine dubio intentus, abfuit, inter mathematicos referri propterea meretur, quod *magus*, & *θεος* seu *vir divinus*, nec non *propheta* seu *fatidicus* diuo PAVLO (Tit. I.) atque APVLEIO (*flor.* 2.) idem salutatur; tum *mysteria* etiam atque *aenigmata*, nec non *theogoniam* conscripisse perhibetur. Horum enim nihil non ab astrologiae studio, nisi me omnia fallunt, repetendum videtur. Conf. DIOG. LAËRT. in *eius vita*; PAVSAN. in *corinth.* atque *atticis*, PLINIVS *hif.* lib. VII. c. 48. nec non HOFMAN. in *lex. univ.* FABRIC. *bibl. gr. lib. I. c. 6.* it. lib. II. c. 23. p. 490. it. BRVCKERVS *hif.* *philos.* tom. I. pag. 419. *sqq.*

PHERECYDES, *Syrus* a patria Syro insula cycl. cognominatus, professione astrologus pariter atque philosophus: neque enim geminos una floruisse Pherecydes arbitramur; idemque THALETIS *Milefii* & PYTHAGORAE in studiis mathematicis atque philosophicis praeceptor, IAMBlichO in *vita Pythag.* & TZETZE *chil. II. hif.* 55. testibus; *eclipses ac periodos lunae* invenisse, *de natura item ac diis*, vel, secundum alios, *de natura deorum* scripsisse primus, inter Graecos nimirum, nec non *heliotropium*, seu machinam solis conversionibus significandis accommodatam, in Syro insula erexisse perhibetur. Idem etiam, notante id APVLEIO in *floridis*, primus versuum nexu repudiato conscribere ausus est passivis verbis, soluto locutu, libera oratione. Vid. DIOG. LAËRT. in *eius vita*, APVLEIVS in *florid.* item SVIDAS atque alii apud HOFMANN. in *lex. univ.* FABRICIVM in *bibl.*

bibl. gr. lib. II. c. 23. nec non apud BRVCKERVM hist. philof. tom. I. pag. 982. fqq. excitati.

*Secul.
XXXIV.
a M. C.
Sec. VII.
ante C. N.*

SACADAS, *Argivus*, musicus celebris seu conditor modorum & inventor legis tripartilis, aut, si mavis, chori dorici & stropharum in carminibus auctor, circa Rom. cond. clarus, PINDARO antiquior, ter vicit in ludis pythiis. Vid. PINDARVS, PLVTARCHVS, PAVSANIAS, SVIDAS, & PATRICIVS ab HOFMANNO in *lex univ.* & IOS. BLANCANO in *chronol. mathem.* laudati.

EVPHORBVS, *Phryx* a patria cognominatus, ante THALETEM *rationem scalenorum & trigonorum, & quaecunque ad geometricas speculationes spectari videntur*, reperisse, h. e. geometricam delineis atque figuris tractationem primus instituisse memoratur apud DIOG. LAËRT. in *vita Thaletis*. Fere primus igitur hic geometrizare inter Graecos, notante quidem BLANCANO, coepit.

NECEPSVS, inferioris Aegypti regulus, idemque sideralis doctrinae peritissimus atque instaurator, nec non organorum doctor, AVSONIO quidem teste (epist. XIX.) extitit. Conf. IVLIVS FIRMIC. *mathef.* lib. VIII. c. V. item PLINIVS *hist. nat.* lib. II. c. 23. MARSHAM. *can. chron.* p. 475. & FRANC. IUNCTIVS in *speculo astrol. post praefat.*

PETO-

Secul.
XXXIV.
a M. C.
Sæc. VII.
ante C. N.

PETOSIRIS, sacerdos Aegyptius, idemque
NECEPSO coevus, astrologiae peritissimus, & scri-
ptis hac de materia clarus. Vid. l. c. it. WEIDLER.
hist. astron. cap. IV. §. II.


*Haec de civitatis mathematicae patriarchis, seu mathematicum
cultoribus atque auctoribus vetustissimis nunc quidem dicta sufficiant.
De THALETE, qui hunc in excolendis matheos doctrinis
atque artificii proximo secuti sunt, aliis occasione
proxima bono cum deo tracta-
bimus.*



Helmstedt, Diss., 1750/52

X 230 90 95





IO. NICOLAI FROBESII
MATHEM. AC PHILOS. P. P. O.
RVDIMENTORVM
BIOGRAPHIAE
MATHEMATICAE

SECTIO I

QVA

MATHEMATICORVM VETVSTISSIMORVM
HOC EST ILLORVM
QVI ANTE THALETEM CLARVERVNT
RECENSIO CHRONOLOGICA
CONTINETVR

PRAELECTIONIBVS
MATHEMATICIS AC PHILOSOPHICIS
SEMESTRI AESTIVO ANNI MDCCLI
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA
HABENDIS
PRAEMISSA.

HELMSTADII

LITTERIS SCHNORRIANIS.

11
1751, 2

37